



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Patris Gonzali Sylveriae, Societatis Iesv Sacerdotis**

**Godinho, Nicolao**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Clavdio Aqvavivae Societatis Iesv Praeposito Generali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44032**

3  
CLAVDIO A-  
QVA VIVAE SOCIETATIS  
IESV PRAEPOSITO GE-  
NERALI.



FFERO tibi, P. O. Gonzalum Sylueriam, Societatis nostra decus eximium; sus illum quidem, non tamen planè expressum, sed tantum adumbratum coloribus. Multa enim viuens egit, multa moriens, quae si fuissent memoria tradita, magno nobis solatio esse possent & exemplo. verū per incuriam eorum quibus cum vixit, non mediocri ex parte in obliuionem abiēre. Hoc gentis nostrae, hoc est, Lusitanorum genuinum vitium est (quae fuit aliorum iusta de illis iam ante me querimonia) quam sunt ad agendum prompti; tam sunt ad scribendum tardi; ac si nihil intersit posterorum nosse, quid ipsorum maiores praclare gesserint, vt & pia recordatione grati illis esse queant, & eorum viuendi rationem intuentes, vitam quoq; ipsi laudabiliter instituunt suam. Me verò ab historia, & humaniorum literarum occupationibus alienissimum, vt hunc susciperem, quanquam exiguum, scribendi laborem, non inuitauit solum, verum etiam penè coegit singularis quidam iam inde ferè à puero in Gonzalum affectus. Quo enim tempore, annum etatis agens circiter decimum quartum, Societatis Iesu institutum in Conimbricensi Collegio amplexus sum, de re fermè nullà frequentior, quam de Gonzalo erat inter socios sermo. Excitabāt ad id, praeter eius martyrij nuntium ex Aethiopia nō ita pridē allatum, clarissima virtutum opera, quorum habitu adhuc illa Collegij tecta & parietes colebant. His me  
A 2 tum

tum colloquijs permotum, ita deinceps sanctissimi viri memoria deuinxit ac tenuit, vt casu quodam oblatam nunc eius vite describenda occasionem non putarem esse pratermittendam. Caterum cur istud, quidquid operis est offeram tibi, haud merito quis à me querat. Cui enim potius, quàm illi, quem communem parentem agnoscimus, offeramus nostra? Hac causa cuius, vt opinor satis. Sed (dicam simpliciter) alia me mouent longè potiores; inter quas animus iste tuus, ad omne genus pietatis ita propensus, vt quæ modo aliquo pietatem dolent, ea tibi præ cæteris cura & cordi esse, nemo non videat. Illa quoq; non minima est, quod nulli videantur aptius offerri posse Euangelici prædicatoris egregia facinora, quàm illi, qui ex insigni in Religionem affectu, ad hereticos & schismaticos, ad Mahumetanos & Gentiles per Europam, per Africam, per Asiam, per orbem nouum, per terram deniq; vniuersam, tot tamq; lectos, non annis tantum singulis, sed quoties per annum opportunitas se offert, prædicatores destinat, maxima rei Christianæ gloria & emolumento. Alias causas prætereo, quia neq; modestia tua illas libenter audiet, aut leget, neque mea, qui ab adulatione longissimè naturâ absun, sine vultus rubore mihi scribere permittit. Accipe interim has Gonzalinosiri, vt ita dicam, umbras, quas alij postea exemplo meo, vt spero, permoti, conquisitis diligentius eiusdem Gonzali rebus feliciter illustrabunt.

Clau-